Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8207
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ut vim michi faciam quia impossibilitas
coincidet cum necessitate et reperi locum
in quo revelate reperieris cinctum contradic-
toriorum coincidencia et iste est murus para-
disi in quo habitas cuius portam custo-
dit spiritus altissimus racionis qui nisi vin-
catur non patebit ingressus. Ultra igitur
coincidenciam contradictoriorum videri po-
teris et nequaquam citra. Si igitur inpos-
sibilitas est in visu tuo domine nichil est quod
visus tuus non videat.

Sto coram ymagine faciei tue deus
meus quam oculis sensibilibus res-
picio et nitor oculis interioribus
intueri veritatem que in pictura signatur
et occurrit michi domine quod visus tuus lo-
quitur. Nam non est aliud loqui tuum quam
videre tuum et quia videre tuum est loqui
tuum non differunt realiter in te qui es
ipsa simplicitas absoluta tunc clare ex-
perior quod tu simul omnia vides et singula
quia ego simul et semel dum predico ecclesie
loquor et in illo unico singulis loquor. Id
quod michi est ecclesia hoc tibi est totus hic mun-
dus et singule creature que sunt aut esse
possunt. Sic igitur singulis loqueris et ea